



Tom III
Mijakaneop Philoby.

[Faint, illegible handwritten scribble]



96.

98

Q. D. B. V.
DISSERTATIO CHRONOLOGICA
De
COMPUTO VETERUM
ROMANORUM

Quam
In Celeberrima Leucorea
SUB PRÆSIDIO

M. ÆGIDII *Strauch's*

Witteb. Facult. Philosoph. Adjuncti,
examine publico exhibet

M. JOHANNES FRIDERICUS SCULTETUS

Torg. Alumn. Electoral.
Ad d. 18. Julij.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typographi.
Anno cl. 13 c LV.





Præloquium.



*N*escire quæ ante Te acciderint, est
semper esse puerum, non in eleganter
monent antiquitatum scrutatores.
Quemadmodum enim pueri, non
nisi ea, quæ ante pedes sunt, vident,
& ij, qui præterita negligunt & oblivione sepe-
liunt, puerorum instar, aliorum periculis cau-
tiores non fiunt, sed in se experiri necesse habent,
quæ si experientiam consulissent, evitare fa-
cile potuissent. Ad accuratam verò rerum
olim gestarum notitiam haud parum facit tem-
poris cognitio, usque adeo, ut per hanc Histori-
cus videre dicatur. Qua de causa nos quoque,
ut ad Historicorum adyta nobis facilior pateat
aditus, hâc vice de tempore, ejusdemque dispo-
sitione quædam meditabimur. Solicite inqui-
runt alij in urbis incunabula & incrementa, ne-
que id abs re, cum Urbis fastigium exemplum
sit, quò docemur maximarum rerum læpius mi-
nima esse initia. Nos hâc curâ paulisper sepo-

fitâ, *Calendarium*, quô inclytæ Urbis incolæ usi
sunt, scrutabimur. TU PATER TEMPO-
RUM ANNUE CLEMENTER!

§ 1. Quæ fuerit *Calendarij*, à *Romulo*, urbis conditore,
introduciti, ratio, difficillimum est scire, ob dissensum proba-
rissimorum scriptorum. Antiquissimi fere omnes pariter
atque recentiores in hoc conveniunt, *Romulum* annum decem
mensium ordinasse & primum introduxisse, quod adeo verum
est, ut *Plutarchi* temporibus jam invaluerit hæc opinio, ita
enim is in vita *Numæ Pompilij* scribit; Πολλοὶ δὲ εἰσὶν, οἱ καὶ
προσθησάντες τέτταρες, ὑπὸ νημῶν τῶν μηνῶν λέγουσι. Τόντε Ἰαννά-
ριον καὶ τὸν Φεβρουάριον. ἐξ ἀρχῆς δὲ ἔχθησαν δέκα μηνὶν εἰς τὸ
ἐνιαυτὸν. Multi etiam sunt, qui duos hosce menses additos à *Nu-
mæ* inquit, *Januarium* & *Februarium*; Ab initio enim decem
mensium in usu annum extitisse. Clariora sunt, quæ *Cajus Juli-
us Solinus*, qui teste *Gesnerô* L. IV. Biblioth. circa tempora *Ve-
spasiani* vixit, & à *S. Patribus* sæpius citatur, Cap. III. Polyhi-
storis habet: *Romani*, ait, in initio annum decem mensibus com-
putabant, à *Martio* auspicientes, adeò, ut ejus die prima de aris *Ve-
stalibus* ignem accenderent, mutarent viridibus *Veteres Laureas*,
Senatus & *populus* comitia agerent, matronæ servis suis *Cœnas* po-
nerent, sicuti *Saturnalibus Domini*: illæ ut honore promptius obse-
quium provocarent; hi, quasi gratiam repensarent perfecti labo-
ris. Maximè hunc mensem principem testantur fuisse, quod qui
ab hoc quintus erat, *Quintilis* dictus est, deinde numero decur-
rente, *December* solennem circum finiebat, intra diem trecentese-
mum quartum. Tunc enim iste numerus explebat annum: ita ut
6. menses tricentum dierum essent, quatuor reliqui tricenis & sin-
gulis expedirentur. Non aliter annum *Romuli* describit *Ma-
crobius Saturnal.* L. I. cap. XII. ait enim: *Anni certus modus apud
solos semper Ægyptios* fuit. aliarum gentium dispari numero pari
errore mutabant, & ut contentus sim referendo paucarum morum
regionum, *Arcades* annum suum tribus mensibus explicabant,
Acarneanæ sex; *Græci* reliqui trecentis quinquaginta quatuor
die

diebus annum proprium computabant. Non igitur mirum in hac
 varietate Romanos quoque olim, auctore Romulo annum suum decem
 habuisse mensibus ordinatum, qui annus incipiebat à Martio &
 conficiebatur diebus trecentis quatuor: ut sex quidem menses, id
 est, Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December
 tricenum essent dierum; quatuor vero, Martius, Majus, Quinti-
 lis, October, tricenis, & singulis expedirentur: qui hodieque septi-
 manas habent Nonas, cæteri quintanas. &c. Addimus Auctori-
 bus citatis neque id immerito Aurelium Cassiodorum, Patrici-
 um quondam Romanum, temporibus Anastasij florentem; Ita
 enim is in Chronico suo, quod Johannes Cuspinianus erudi-
 tissimis Scholijs illustravit; Numa Pompilius regnavit annos qua-
 draginta unum: qui duos menses anno addidit, cum ante hunc de-
 cem tantum menses apud Romanos fuissent. Sed citius nos tempus
 omne & chartarum spatium deficeret, quam Clarissimorum
 Scriptorum testimonia. Unicum Censorinum citasse sufficiat,
 qui in Lib. de die Natali cap. XX. accuratissimè annum Ro-
 mulæum describit & prolixius quidem, quam ut ejusdem
 verba referre queamus. Et quid multis, à Poëtâ quoque idem
 docetur, additis insuper hujus instituti Romuli rationibus:
 Ita enim Ovidius Lib. I. Fastorum canit:

*Tempora digereret cum conditor urbis, in anno
 Constituit menses quinque bis esse suo.*

*Scilicet arma magis, quam sidera, Romule nôras,
 Curaque finitimos vincere major erat.*

*Est tamen & ratio Casar, qua moverit illum,
 Erroremque suum quò tueatur, habet:*

*Quod satis est utero matris, dum prodeat infans,
 Hoc anno statuit temporis esse satis.*

*Per totidem menses à funere conjugis uxor
 Sustinet in vidua tristia signa domo.*

Item Lib. III. Fastorum:

Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem.

Hic numerus magno tunc in honore fuit.

Seu quia tot digitiper quos numerare solemus,

Seu quia bis quinò femina mense parit.

§.L. His præmissis menses anni Romulæi hōc modō or-
dinari posse non dubitamus.

I. MARTIUS,	DIERUM	XXXI.
II. APRILIS.		XXX.
III. MAJUS.		XXXI.
IV. JUNIUS.		XXX.
V. QUINCTILIS.		XXXI.
VI. SEXTILIS.		XXX.
VII. SEPTEMBER.		XXX.
VIII. OCTOBER.		XXXI.
VIII. NOVEMBER.		XXX.
X. DECEMBER.		XXX.

Summa CCCIV.

§3. Quare vero primas *Martio* dederit *Romulus*, suspi-
cari perquam facile est, à *Marte* enim se genitum esse assevera-
bat, idque *Matre* teste, qua de re *Livius* L. I. cap. IV. scribit. *Vi*
compressa Vestalis, cum geminum partum edidisset (seu ita nata, o,
seu quia Deus autor culpæ honestior erat) Martem incertæ stirpis
patrem nuncupat. Et Plutarchus in vitâ Numæ Pompilij idem tradit.

§.4. Alter mensis in anno Romulæo quare *Aprilis* no-
mine insignitus fuerit, *Plutarchus* explicare conatur in vita Nu-
mæ Pompilij, quando ait. δεύτερον δὲ τὸν Ἀπρίλιον (. scil. ὀνο-
μάζεσθαι) ἐπώνυμον ὄντα τῆς Ἀφροδίτης, ἐν ᾧ θυσιί τε τῆ Θεῶ, καὶ
ταῖς Καλάνθαις ἐστὲ φανωμένααι γυναῖκες μυρσίνη λένονται. Τινὲς
δὲ ἔδιδαν διὰ Ἀφροδίτην τὸν ἀπρίλιον φασιν, ἀλλ' ὡσπερ, ἔχει τὸ νομα
ψιλόν, ἀπρίλιον κεκλήσθαι τὸν μῆνα, καὶ ἐαρινῆς ὥρας ἀκμα-
ζῆσης, ἀνοίγεται τὰς βλαστὰς τῶν φυτῶν. Τὸτο γὰρ ἡ γλῶσσα ση-
μαίνει. *Secundum vero Aprilem mensē vocavit, quod Veneris*
habeat cognomentum, quō mense Ἔ Dea sacrificant Ἔ ad Kalendas
mulieres, myrtō coronata, lavant. quidam vero non à Venere
nominatum Aprilem dicunt, sed quemadmodum simplex se nomen
habet,

habet, Aprilem mensē vocatum, quoniam vernā temperie arri-
dente, plantarum aperiantur germina. Hoc enim lingua signi-
ficat. Haecenus Plutarchus. Priorem derivationem sequitur,
quoque Ovidius, quando canit:

Martis erat primus mensis, Venerisq; secundus:

Hac generis princeps, ipsius ille pater.

§.5. Unde vero tertius mensis *Maji* nomen habeat, ob-
scurum esse videtur. *Μαΐα* quidem amita apud Græcos dici
solet, vel quælibet ætate grandior, an vero Romulus in deno-
minatione hujus mensis hanc etymologiam intenderit, quod
Plutarchus innuere videtur, & annon potius ad vocabulum *Ma-*
goris, dubium est, procul dubio huc inclinat Poeta, iterum ca-
nens: *Tertius à Senibus, juvenum de nomine quartus.*

§.6. Obscura itaque non est etymologia mensis quarti,
qui *Junius* dicitur, cum juvenum de nomine eum dici, Poeta,
facile persuadeat. Quod *Plutarchus* quoque indicat locò ci-
tatò scribens: εἰσὶ δὲ τινες οἱ τῆς (μῆνας) ἡλικίας ἐπὶ πέντε εἶναι
λέγοντες πρεσβυτέρους καὶ νεωτέρους. Μαΐωνος γὰρ οἱ πρεσβύτε-
ροι παρ' αὐτοῖς, ἰσνιώρης δὲ οἱ νεώτεροι καλεῖνται. Sunt etiam, qui
hunc mensem ab ætate majore & minore cognominatos dicant. Pres-
byteri enim majores, Neoterici vero juniores vocantur.

§.7. Reliquos verò menses quòd concernit, habuerunt
ijdem à numerò denominationes suas, ita, ut quintus à Martio,
Quintilis dictus fuerit, Sextus, *Sextilis*, Septimus, *September*
&c. Atque hæc nomina obtinuerunt post Numam quoque,
usque ad Julij Cæsaris & Augusti tempora, iisdem enim *Quin-*
tilis, *Julius*, *Sextilis*, *Augustus* vocari cœpit, reliqui menses de-
nominationes suas pristinas retinuerunt. Etsi enim *Titus Fla-*
vius, *Domitianus*, post duos Triumphos, *Germanici* cognomine
assumptò, Septembrem mensē & Octobrem ex appellationi-
bus suis, *Germanicum Domitianumq;* transnominaverit: Quòd
alterò suscepisset Imperiū, alterò natus esset, quod de eodem
testatur *Suetonius* in Vitâ Domitiani, quam libro 8. descripsit;
Mox tamen eodem, septem Vulneribus, occisò, ijdem menses
nomina sua prisca receperunt.

§.8. Quam-



§. 9. Quamvis verò hæc extra dubitationis aleam positâ esse videantur, nihilominus tamen, omnibus & antiquioribus & recentioribus scripturibus ad palatum haud sunt. Neque enim è Veteribus tantùm, *Fenestella* & *Licinius Macer*, teste *Censorinô*, contenderunt, annum Romanorum Veterem statim ab initio, duodecim mensium fuisse, & à Latinis petitem, apud quos totidem mensibus, iisdem appellationibus, eodemque situ, annus ante urbem conditam in usu fuerit, & ad ultima usq; tempora Reipublicæ Romanæ duraverit, sed etiam in primis hujus seculi annis eandem sententiam de anno Romuleo, duodecim mensibus absoluto defendere satagit *Josephus Scaliger* l. 2. de emendat. temp. p. m. 172. & seqq. ubi inter alia ait: *Quia igitur explosô illô decimestri anno, ad omnia & per omnia inutilissimo, præterea exhibitatâ sententiâ, quæ Romulum ex pastore & Rustico Metonem & Calippum constituabat, ad veras rationes confugiendû est. Nos veram & antiquitati consentaneam viam insistemus, quæ convincit annum ab initio non solum duodecim mensibus, sed & ijs ad Lunæ cursum descriptis constitutum fuisse. Testis appellatio Nonarum Eiduum & Kalendarum.* Hæc & multa alia loco citato habet Scaliger, cujus sententiam approbant *Albericus Gentilis* l. de diversis Temporum appellat. p. 21. *Bodinus*, alijq; *Graviter* verò, quod aliàs solet, in eandem invehitur *Dionysius Petavius* l. 2. de doctrinâ temporû. c. 72. Quod his verbis inchoat: *Si quæ à Vetustis autoribus de anno Romano prodita sunt, sequenda sibi proposuisset Scaliger, non in divinationibus ac conjuncturis suis explicandis tam multa verba perdidisset. Nunc ab illorum Autoritate consensuq; discedens, annum ordinavit, non qualem Veteres usurpavere Romani, sed qualem ipse commentus est. Quod ut cui-libet obvium ac facillimum est, ita minimè est tolerandum & c.*

§. 9. Haftenus Scaligerum cum Petavio commisimus, utri verò palma debeat, ex haftenus dictis constare videtur. Scilicet hoc certò certius est, Gravissimos Authores de decimestri anno Romuleo testari, quorum frequentissimo choro an *Fenestella* & *Macer* commodè opponantur & cum fructu, sanè dubitamus. quin potius *Junio*, *Gracchano*, *Fulvio*, *Varroni*, *Plutarcho*, *Ovidio*, *Suetonio*, *Censorino*, *Selmo*, *Macrobio*, & c. fidem adhi-

adhibebimus, usq; dum rationibus, magis prægnantibus, eorundem Autoritas enervetur. Neque enim argumentum illud Scaligeri à Denominatione Nonarum Eiduum & Kalendarum desumptum tanti ponderis esse videtur, ut tot testimonijs Antiquorum comprobata sententiam, falsam esse evincere queat. *Primò* enim nondum satis probatum est, tempore Romuli quoque Nonarum Iduum & Kalendarum nomina in usu fuisse. Quid enim obstat, quo minus dici queat, has dierum appellationes Numæ Pompilio originem suam debere? Accedit ad hæc *Secundò*, quod, etsi anni Scaligeriani forma tunc obtinuisse dicatur, neque sic quidem denominationes istæ Lunæ ratiocinia satis aptè expressissent; Quis enim unquam Mensem Lunarem triginta & unius dierum esse Astronomica principia edoctus, opinatus est? Et quid fieret de Julij Cæsaris correctione, quâ is annum Lunarem in Solarem mutavit, retentis nihilominus his ipsis nominibus? Neq; præter Romanam alijs gentibus hoc inusitatum fuit, nomina, quæ Lunaribus mensium descriptionibus, tantum propriè competunt, alijs quoque, quàm Lunaribus, mensibus applicare. *Græci* certè menses suos *Τριακονθημέρης* in Decades tres dividere soliti sunt, quarum prima *ἰσαμενῶς μηνός*, altera *μεσῶντος*, tertia *Φθινοντος* audiebat, ijdem *ὄμβρηνας* singulos mensium Tricenariorum dies primos nominabant; neque tamen exinde sequitur, vel Græcos olim annos merè Lunares habuisse, ita, ut vocabula ista Lunæ ratiocinia, ad quæ videntur applicata & unde deducta sunt, accuratè expresserint, quin potius, vel ipsò Scaligerò teste, anni Græcorum vel 360, vel 361, vel 362, vel 390, vel 391, vel 392, diebus absoluti sunt, tantùm abest, ut argumentò hoc apodicticè probari queat, Veteribus de anno prisco Romuléo vera vel non constituisse, vel eosdem falsa nobis persuadere voluisse.

§. 10. At nondum omnis difficultas sublata esse videtur: quod enim supra de anno Romuleo annotatum fuit eundem trecentis & quatuor diebus constituisse, itemque menses singulos vel triginta, vel triginta & unius dierum fuisse, eidem repugnare videtur intricatus ille *Plutarchi* locus, qui in descriptione Vitæ Numæ Pompilij extat *ῥωμύλης γὰρ βασιλεύοντος, αἰλόγαίς*
B
ἐχρῶν

ἐξ ἑνὸς τοῖς μηνὶ καὶ ἀτάκτως, τὰς μὲν οὐδὲ εἰκοσὶν ἡμερῶν, τὰς δὲ
 πέντε καὶ τριάκοντα, τὰς δὲ πλείονων, λογιζόμενοι. Τῆς δὲ γινόμε-
 νης ἀνωμαλίας περὶ τὴν σελήνην καὶ τὸν ἥλιον, ἔννοιαν οὐκ ἔχοντες,
 ἀλλ' ἐν μὲν Φυλάττοντες μόνον, ὅπως ἐξήκοντα καὶ τριακοσίων ἡμε-
 ρῶν ὁ ἐνιαυτὸς ἐστίν. *Nam Romulò regnante, præter ἑ rationem
 ἑ ordinem mensibus utebantur, alios quidem neq̄, dierum viginti,
 alios quinq̄, ἑ triginta, alios verò plurium supputantes. Luna
 autem solisq̄, inæqualitatis cognitionem habebant nullam, sed unum
 duntaxat observabant, ut dies trecentos ἑ sexaginta annus conti-
 neret, hætenus Plutarchus, è quò procul dubio sententiam su-
 am hausit Thomas Lydyat Anglus, quàm, à Scaligerianâ parùm
 diversam, in tractatu de varijs annorum formis cap. 17. propo-
 nit, quo in loco ostendere conatur, illos, qui annum prisco-
 rum Romanorum decimestrem fuisse opinati sunt, neutiquam
 breviorẽ statuisse ipsum, quàm illi statuerint, qui duodecim
 mensium fuisse dixerunt; Nec tam numerò, quàm dispositio-
 ne dierum, illum à duodecimestri distinxisse; Romanos enim,
 regnante Romulò, anni vertentis spatium complevisse, ait, aut
 assignando quibusdam mensibus plures quàm triginta dies, aut
 adjiciendo, in fine anni, cumulum dierum, quot ei complen-
 do deesse viderentur. Atque huic opinioni favere videntur
 Verba Servij ad l. i. Georgicorum; *Hi erant tantum decem men-
 ses; duo verò, propter rationem signorum anni intercalabantur,
 qui postea à Jano, ἑ à Februo nominati sunt.**

§. II. Hæc verò autorum Clarissimorum diversitas, quã
 ratione conciliari queat commodè, vix ac ne vix quidem no-
 bis liquet. Neque aliud ferè nobis in præsentì succurrit me-
 dium, quàm quò Clarissimus Dn. *Wilhelmus Langius* lib. i. de
 annis Christi c. 15. p. 194. seqq. utitur, quando ait: *Sed ne Præ-
 stantissimi scriptores frustra inter se committantur, videndum est,
 num ne ratio aliqua dari possit, illos conciliandi.* Notum est Ur-
 bem Romam ex duobus populis unam factam fuisse, Romanis, (qui
 partim ex Albanis, partim ex colluvie variorum hominum consta-
 bant, qui primùm urbem cum Romulo habitabant) ἑ Sabinis, qui
 cum Tito Tatio in Urbem allecti sunt. Et priores Romuli ac Alba-
 norum instituta sequebantur; posteriores verò Sabinorum. Hinc
 duplex

duplex in unâ civitate anni ratio erat. Albani namq; quibus decem menses inaequales in anno erant, hanc sub Albano Rege, Romulo, sequebantur. Contrâ Sabinis duodecim in anno Menses erant, minori quàm Albanorum inaequalitati obnoxij (forlitam majori dicere debuisset.) Hoc tam diu obtinuisse videtur, quàm diu Tatius Sabinorum Rex, pari cum Romulo Imperio præffet. Postquam verò ille sublatus erat, videtur Romulus omnes ad eandem anni formam reduxisse. Atq; dum quidem Albanam, quam à Majoribus acceperat proposuisse, nonnihil tamen emendatam: Hæc & multa alia locò citato citato habet Langius.

§.12. Cæterùm diu non obtinuit Romuleum Calendarium, hætenus quidem, quoad fieri potuit, descriptum. Cùm enim conditor Urbis anno Regni sui 37. ad exercitum recensendum concionem in campo ad Capræ paludem, haberet, subito coorta tempestas, cum magno fragore, tonitrubusque, tam densò Regem opperuit nimbò, ut conspectum ejus concionè abstulerit, nec deinde in terris Romulus fuit, prout hæc de re Titius Livius loquitur. Romulo itaque defunctò Senatores quidem annum integrum alternis imperabant, quia verò obtrectationem & murmur Civium, Regem postulantium, evitare non poterant, tandem Numam Pompilium, cujus temperatus & ad maxima natus animus omnibus notus erat, & cui Tatius, quem consortem Regni aliquandiu habebat, Romulus, unicam filiam Tatiam nuptum dederat, communibus suffragijs eligunt & Regem creant. Is verò, Regno potitus, Urbem, vi & armis conditam jure, legibusque ac moribus de integro condere parat, quas ejus sanctiones inter facilè excellabat ea, quâ annum Lunæ Solarem introducere paravit. Ita enim hæc de re Livius loco citato scribit: Omnium primum ad cursum Lunæ in duodecim menses describit annum, quem quia trecentos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntq; dies solido anno, qui Solstitiali circumagitur orbe intercalares mensibus interponendo ita dispensavit, ut vigesimo anno ad metam eandem Solis unde orsi essent plenis annorum spatijs dies congruerent.

§.13. Etsi vero hæc ipsa verba, partim quâ lectionem, de mendâ Scripturæ suspecta, (Petavius enim, eum alijs, pro verbis hinc; ut vigesimo anno ad metam eandem solis, unde orsi essent,



plenis annorum omnium spatijs, dies congruerent, legit: ut vigesimo quarto anno ad metam &c. quam lectionem Macrobij testimonio quodam, qui eandem approbant, firmare conantur.) partim qua explicationem, dubia esse videantur, cum Veterum Libri, qui instar Commentarij esse potuissent, injuria temporum amissi sint, hoc tamen ex iisdem certo certius constare potest annum Pompilianum Lunæ - Solarem fuisse.

§. 14. Enimvero non sufficere videtur generalia tantum scrutari, propius ad rem veniendum est & adyta intima ut referemus necesse. Quamobrè cum non tam rationibus quam aliunde deductis autoritatibus certandum sit: Veterum testimonij, quæ citare verbotenus chartarum angustia prohibet, edocti anni Pompiliani menses & ratione ordinis & rationis quantitatis ita dispositos fuisse putamus:

I. JANUARIUS,	DIERUM	XXIX.
II. MARTIUS		XXXI.
III. APRILIS		XXI.
IV. MAJUS		XXXI.
V. JUNIUS		XXIX.
VI. QUINTILIS		XXXI.
VII. SEXTILIS		XXIX.
VIII. SEPTEMBER		XXIX.
IX. OCTOBER		XXXI.
X. NOVEMBER		XXIX.
XI. DECEMBER		XXIX.
XII. FEBRUARIUS		XXVIII.

Summa CCC LV.

§. 15. Apparet itaque annum Pompilianum exactè motum Lunæ non assecutum esse. Annus enim Lunaris medius & æqualis ab Astronomis esse dicitur 354. dierum 8. horar. 49, quo spatio elapsò, Luna duodecies periodum suam absolvit, & vestigia prisca decimâ tertiâ vice legit. Unde itaque factum sit, quod *Numa*, neglectâ anni Lunaris Astronomici quantitate aliam eandemq; ab hac diversam, in usu civili adhibere voluerit, non immeritò quarere aliquis posset. Nobis quidem vide-

videtur, *Numam* parti in observasse, trecentorum quinquaginta quatuor dierum spatium illud, non exactè anni Lunaris quantitatem exæquare, quin potius illud hæc justo brevius esse, atq; ideò cum horarum ratio in usu civili commodè haberi haud potuerit, (imo horarum & nomen & res prisca antiquis istis temporibus ignorarunt,) diem potius integrum annum adjecisse, quàm ut eundem deficere voluerit; partim quoq; & potissimum in honorem numeri imparis annum suum his diebus absolvi voluisse. Eundem enim apud antiquos & imprimis tempore *Numæ* in maximo pretio fuisse dubium non est, siquidem hæc causa fuit, ob quam omnium mensium dies impare numero exprimi voluit, exceptò solò *Februariò*, qui propterea *Dijis* infaustis, nempe *Manibus*, sacer erat; quod ne gratis dicere videamur, en *Macrobius* idem nobiscum dicentem: *Paulò post*, ait lib. I. Saturnal. c. 13, *Numa in honorem imparis numeri secretum hoc & ante Pythagoram parturiente natura, unum adjecit diem quem Januario dedit; ut tam in anno, quam in mensibus singulis, præter unum Februarium impar numerus servaretur. nam quia duodecim menses, si singuli aut pari aut impari numero putarentur, consummationem parem facerent: unus pari numero institutus, universam putationem imparem fecit. Januarius igitur Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December, unde tricenis censebantur diebus, & quintanas nonas habebant: ac post idus in omnibus ad septimum decimum Kalendas computabatur. Martius verò, Majus, Quintilis & October, dies tricenos singulos possidebant. nonæ in his septimana erant, similiterq; post Idus decem & septem dies in singulis usq; ad sequentes Kalendas putabantur, sed solus Februarius viginti & octo retinuit dies: quasi inferis & deminutio & par numerus conveniret, hæcenus Macrobius.*

§. 16. Ordinem mensium quod spectat, *Januarium*, tempore *Pompilij*, primum in ordine fuisse, dubium non est, si ulla penes Antiquos Scriptores fides, Idem verò ille à *Jano* nomen habere dicitur. Quis verò ille *Janus* fuerit, quodammodo explicat *Plutarchus* quando ait: *Janus apud vetustissimos illos sive Genius, sive Rex fuerit, dicitur ferum & sylvestrem cultum in urbanum Civilemq; mutasse, proindeq; ipsum bifrontem singunt, tanquam alteram ex altera formam Dispositionemq; reddiderit.*

§. 17. Cæterum in *Januarium*, ex opinione Vulgi, Solstitium brumale incidisse certum est; Ab eodem enim commodissimè annum inchoari, Veteres sibi firmissimè persuaserant, usq; adeò, ut *Julius Caesar* quoq; in reformatione anni sui, Solstitium hybernium in Kalendas *Januarij*, semper (at frustra) incidere voluerit. Causam verò hujus rei non ineleganter è *Jano* quærit *Ovidius*, & sequens responsum refert: *B 3 Die*



Dic age frigoribus quare novus incipit annus,
qui melius per ver incipiendus erit?

Omnia tunc florent, tunc & nova temporis aetas,
& nova de gravido palmitis gemma tumet.

Et modo formatis aperitur frontibus arbor
prodit & in summum seminis herba solum.

Et tepidum Volucres concentibus aëra mulcent,
ludit & in pratis, luxuriatq; pecus.

Tunc blandi soles, ignotaq; prodit hirundo,
& luteum celsa sub trabe fingit opus.

Tunc patitur cultus ager, & renovatur amaro
hæc anni novitas jure vocanda fuit?

Quæsieram multis, non multis ille moratus,
contulit in versus sic sua verba duos.

Bruma novi prima est, veterisq; novissima solis,
principium capiunt Phæbus & annus idem.

§.18. *Februarium* verò ultimum mensem in anno Pompiliano fuisse, non tantum exinde probatur, quod in eundem mensem & diem quidem XXIII. *Terminalia*, ab eo, quod annum circiter terminent, dicta incidere; sed etiam *Varro* lib. 5. de lingua Latinâ idem indicat, cum ait: *Duodecimus mensis fuit Februarius, & cum intercalatur inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense.* Idem *Macrobius* indicat, quando loco citato ait: *Omni autem intercalationi mensis Februarius deputatus est; quoniam is ultimus anni erat.* Vocabatur autem mensis hic *Februarius* à *Februo Deo*, qui lustrationum potens creditur. Lustrari enim eò mense civitatem necesse erat, quo iusta diis Manibus solventur. Utrumq; Poëta expressit his verbis,

Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis erres)

Primus, ut est, Jani mensis & ante fuit.

Qui sequitur Janum, Veteris fuit ultimus anni.

Tu quoq; sacrorum Termine finis eras.

Primus erat Jani mensis, qui janua prima est;

Qui sacer est imis Manibus, imus erat.

§.19. Quod verò concernit mensem intercalarem vocabant eundem *Merchedanium* vel *Merchedinum*, eratq; is jam XXII. jam XXIII. dierum, si enim *Numa* siue quicumque alius autor intercalandi fuit, perinde, ac si dies nullus supervacuis, hoc est trecentessimus quinquagesimus quintus
ce fle

esset adjunctus, XI. dies $\frac{1}{4}$. singulis annis biennio verò XXII. horas XII. attribuunt. Ita factum, ut alternis intercalaris mensis brevissimus modo XXII. modò XXIII. dierum insertus fuerit.

§. 20. An verò à Numæ Pompilij temporibus intercalatio deducenda sit, nobis ex asse non liquet, etsi enim videantur hoc *Plutarchi* & aliorum verba inferre, non tamen satisfaciunt *Petavio*, quippe cum ipse *Macrobius* dubitet, utrum à *Numa*, an à *Tullio*, an *Decemviris* primum intercalatum sit. Neq; ratio *Petavij* prorsus in consequens esse videtur, ita enim scribit *Tom. I. Doctr. temp. L. II. cap. LXXIII. p. 240. Mibi quidem probabile videtur Numam Romanum annum merè Lunarem constituisse dierum CCC LIV, eum unò die, qui Januario arrogari consueverat, & embolimæos, Græcorum exemplo, tertio ferre anno, interdum & secundo inseri iussisse, sed posterioribus temporibus, cum jam annus, mensesq; in eum modum ordinati à *Numa*, publiceq; jam recepti forent, placuisse, ut annus propius ac breviori intervallò, Solis vestigia premeret; indeq; alterò quoq; anno, constatum ex diebus illis, quibus Lunam Sol excederet, mensem intercalatum fuisse. Monet me, ut ita sentiam, illud imprimis, quod primus anni Romani conditor lunaris spatij potissimum rationem habuit, cum & CCC LIV. dies præfinit cum insititio die & mensium descriptionem plane Lunarem instituit, in usq; dierum appellationes ad Lunares $\Phi\alpha\sigma\epsilon\iota\varsigma$ accommodavit, veluti Nonas, Idus. &c. Quæ omnia argumentoeffe possunt, Lunarem initio apud Romanos annum extitisse. Nam si in ipso condendi anni exordio Solis ratiocinia consecrati maluissent, id in singulis annis fecissent, potius augendo in menses dierum numero, quam post biennium curtis illis mensibus intercalandis &c. Non itaq; ab ea conjecturâ discedere, quin ab aliquo posteriore Rege, vel à *Decemviris*, existimem novissimam illam Romani anni methodum & *Mercedini* intercalationem excogitatam fuisse, quod nescio annon & *Livy* locus ille significet, qui ex libro 1. citatur à *Scaligero*, ubi disertè scribit *Numam ad Lunæ cursum in XII. menses annum descripsisse & intercalari mense interponendo post 24. annos ad metam eandem Solis, unde orsi essent, annorum spatia revertisse. At ubi intercalaris Mercedonius est admissus, Lunaris esse procul dubio desijt*, Hæc & alia habet *Petavius*. Quæ tamen omnia nostra non facimus, quin potius ut de iisdem dubitetur, facile concedimus.*

§. 21. Cæterùm mensium dies *Kalendarum*, *Nonarum*, & *Eiduum* denominationes habebant. *Kalendarum* quidem Vox à $\kappa\alpha\lambda\omega$ descendit, eò quod hanc vocem, sub initium mensis, aliquoties usurpare Pontifex solitus fuerit, ita enim hac de re scribit *Scaliger*, de emendatione temporum Lib. II. p. m. 174. annò in menses impari numeri dierum readactò, Pon-

tifex



rifex in Curia Calabria, si Nona septimana futura erant, hoc significabat populo, septies dicto, KALO JANANA NOVELLA, si autem quintana essent, quinques dicto, KALO JANANA NOVELLA. Apage, apage, JUNO COVELLA, quod in Veteribus tam scriptis, quam excusis Varronis libris legitur. Nam tamen si Kalendae Junoni erant dicatae, tamen Nona vult Deo erant dicatae, de quibus agitur. De Luna quippe, non de Kalendis hic sermo. Praeterea illud COVELLA, quod pro caelesti accipiunt, qui hanc lectionem defendunt, quam ridiculè faciunt? Corvum quidem Veteribus erat caelum, non autem caeleste. Nam si Corvus à Veteribus usurpatum esset pro caelesti, tunc fortasse COVELLUS posset derivari. Sed, ut dixi, Viri docti hic non sunt audiendi. De Luna igitur est sermo, non de Junone. JANAM enim Lunam vocabant. Confer Macrobius.

§. 22. Nona verò dicebantur ex eo, quod à die nonarum usque ad Eius semper novem dies essent, vel, quam rationem addit Rosinus L. IV. Antiquit. c. IV. p. 255. quod in eas incurreret principium Lunae, ut nona sit, quasi novae observationis initium. Atque nonarum numerus etiam antiquis temporibus variabat, mensis enim XXXI. dierum sex Nonas habebat, in mense v. XXIX. dierum 4. Nonae tantum numerabantur.

§. 23. Eius verò ἀπὸ τῆς εἰδῆς dici videntur hoc scilicet sensu, quod incurrant in plenilunium. Plutarchus hanc de re ita loquitur: Probl. Roman. 23. Petro Lucensi interprete. Cur tria mensis principia & dies quasi quosdam Legibus praestitutos habent. Dierum idem intervallum in medio capiunt? An illud verum est quod Juba in historia scribit, Magistratus Calendis populum vocare, & in quartum diem Nonas indicere solitos esse? Idus enim diem religiosum putabant. An illud magis, quod lunae varietatibus tempora describentes, tres omnino singulis mensibus lunae mutationes maximas fieri animadvertent? Primam, cum soli congressa penitus occultatur. Deinde, cum solis radios ac lumen elapsa, ab occasu incipit apparere. Postremo, cum plenilunium efficit. Nominant autem lunae occultationem, cum scilicet non apparet, Calendas. Quicquid occultè fit, clam fieri & celari latinè dicitur. Primam verò Nonas appellant justissimo quidem nomine, cum fit nova luna. Nam ipsi novum velut nos neon vocant. Idus autem propter speciem, & undique collucentis lunae pulchritudinem, cognomen illud speciei attribuentes. Sed certissimum dierum numerum exequi non oportet, neque ex eo quod parum abest calumniari, quandoquidem vel hoc tempore, quo ad summum astrologiae perventum est, inaequalitas tamen motuum, mathematicorum peritiam vincit, & eorum numeros ac supputationes sapissimè fallit ac fugit.

§. 24. Hæc ipsa vero dierum denominatio facile innotescere potest etiam in hodierno Juliano Calendario, si versiculi hi observentur:

*Majus Sex Nonas, October, Julius & Mars
Quatuor at reliqui; tenet Eius quilibet octo.*

Tantum!



01 A 6640

ULB Halle 3
003 108 309




Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

96. 98

B. V.
CHRONOLOGICA
VETERUM
ORUM

m.
na Leucorea
ÆSIDIO

I Strauchs/
ilosoph. Adjuncti,
lico exhibet
ERICUS SCULTETUS
n. Electoral.
8. Julij.

ERGÆ
NERI Acad. Typographi.
Is c LV.

